RELIGIOSO VIRO,

Qui inter Michoacaneos Patres,
Ceu lucerna ardens super candelabrum posita,
Iccirco
In sublimitate honoris, & plenitudine potestatis
Palam reponitur,
Ut & verbo sapientiae, & virtutis opere
Luceat omnibus, qui in Eparchia sunt.
Illustre sanè munus, encomium vere magnum,
Cui haud parum decoris ex dignitate accrescit
Michoacanae Provinciae
Probitate, & sapientiae nulli secundae.
Quot namque stellas in firmamento intueris,
Totidem recenseas soles in Michoacaneo Coelo
Utroque lumine fulgentissimos,
Queis omneis praefulgere Huic uni mandatur.
¿Ergo ne plus multis
Hacce una decorabitur Legatione,
Qui id quod inter sydera Sol
Inter Soles esse legatur?
Equidem, ni Zoilus existat,
Qui alienis bonis moereat,
Nemo ibit inficias,
Haud tantum ex munere,
Quantum ex Eparchiae gloria
Honoris accesisse
Lucernae nostrae:

R. ADMODUM (INQUAM) P. N.

FR. JOSEPH GUARAS

Definitoris, & Custodis honoribus antehac in Mexicana Sancti Evangelii Provincia insignito, hodieque in Michoacaneam S.S. Petri, & Pauli à Rmô. P. N. Ind. Commissario pro ejusdem visitatione perficienda, & proximis electionibus praesidendis juridice Legato: in cujus honorem infrascriptas Theses Canonicas ex IV. Lib. Decret. selectas in publico certamine sustinere parat Fr. VICTORIANUS BORJA R. ac P. Univers. Concept. Celajens. Collegii Alumnus.

EX I. P. T. I. LIB. IV. DECRET.

LICET Sponsalia dare & exequi, imo & compartem abnuentem ad exequutionem adigere, non reserato occulto vitio, quo quis laborat alteri minime nocituro.

Non licet Sponsalia data exequi, tacito defectu occulto contractum antecedente, aut consequente graviter comparti nocituro, sed qui eo ex Sponsis laborat, eumdem per se tenetur alteri revelare, vel à matrimonio qua potis erat via honesta abstinere.

Dolus, deceptio, & merum etiam silentium circa hujusmodi vitia, qui dant causam Sponsalibus in foro interno probabilius contractum ipso jure irritum efficiunt.

Sponsalia gravi metu inique extorta jure naturae sunt irrita, & nec juramento, aut copula firmata convalescunt.

Qui Virginem sub ficta spe matrimonii defloravit non tenetur per se in foro interno determinate ad illam ducendam, sed invitam dotare potest, quamvis paris conditionis sit.

Qui copulam à corrupta extorsit sub eodem dolo ad nil in foro interno tenetur, secluso damno extrinseco, quantumvis illa honesta sit, parisque conditionis, nec vicissim seduxerit virum.

Sententia matrimonii contra hunc forte lata in foro externo ex non probata fictione in conscientia eumdem non adstringit, & absente scandalo, non obedire licet.

Non licet filiis sub patria potestate constitutis Sponsalia ordinarie inire, insciis parentibus, quamvis de matrimonio honesto, & decente sint, sed sub gravi per se tenentur parentes praemonere, & consilium expectare.

Sponsalia, etiam jurata, vel copula firmata, inita à filiisfamilias de matrimonio, cui juste parentes contradicunt jure naturae sunt irrita.

Eodem jure omni firmitate carent, quae in aliquo statu politico familiam deturpant, & indecore afficiunt, si absque justa causa, vel uno ex eadem invito, fiunt, sive ab his, qui sui juris sunt, sive à filiisfamilias, etiam de assensu paterno.

Copula, oscula, & tactus impudici à Sponsis cum tertio exercita probabilius continent speciem injustitiae necessario in confessione Sacramentali exprimendam.

Valida, & licita est moderata poena conventionalis Sponsalibus adjecta contra injustè resilientem: & immoderatè apposita, quamvis quoad excessum non subsistat, integram conventionem non vitiat.

Injustè recusans Sponsalia data adimplere debet ad instantiam Patris moderatis poenis juris ad exequutionem compelli; verum, si his obduratus non cedat, ad graviores progredi non licet, sed ab obligatione Sponsalia absolvi debet.

Ingressus in Novitiatum Ordinis Religiosi solvit Sponsalia ex parte remanentis in soeculo; non tamen ex parte ingredientis, donec valida professio subsequatur.

Sponsalia, etiam jurata, contracta cum designatione temporis ad obligationem finiendam, elapso termino praefinito ex vel sine copula utriusque, vel alterius tantum ex Sponsis utrinque solvuntur.

Non solum ob subsequentem copulam voluntariam ab utroque Sponso cum tertio habitam, sed etiam ob oscula, & tactus post Sponsalia libere cum alio, licet non frequenter, exercitos, ex utraque parte contractus disolvitur.

Sponsus repudiare potest Sponsam, etiam ob violentum coitum ante contractum passum eidem tempore contrahendi ignotum, & post detectum; Sponsa vero, nec ob voluntarium, potest à Sponso discedere, nisi id in more habere comperiat, aut ex uno actu prolem ex alia suscepisse.

EX II. P. EJUSD. T.

MINISTER Sacramenti Matrimonii probabilius non est Parochus, sed ipsimet Contrahentes.

Princeps politicus nequit de jure divino pro fidelibus subditis statuere impedimenta Matrimonium dirimentia.

Nequit Episcopus eadem pro sua Dioecesi introducere; sed probabilius, non de jure Divino, sed de generali consuetu-

dine, quae id juris Papae, & Concilio omnium Episcoporum reservavit.

Matrimonium ex legitima dispensatione inter fidelem, atque infidelem contractum ex neutra parte est Sacramentum.

Fideles, validum Matrimonium inter se contrahendo, nequeunt rationem Sacramenti à ratione contractus matrimonialis disjungere.

Matrimonium inter fideles per Procuratorem, non solum valet, etiam post Tridentinum, in ratione contractus; sed etiam in ratione Sacramenti.

Valet, etiam ut Sacramentum, Matrimonium nutibus, aut signis inter fideles alias ritè contractum.

Non valet in ratione contractus Matrimonium, quod scienter à fidelibus inter se contrahitur cum intentione positiva Sacramentum non conficiendi, seu rationem contractus à ratione Sacramenti separandi.

Validum est sub utraque ratione, quod ex privato errore speculativo ab ipsis contrahitur speciali intentione contractum efficiendi, & non Sacramentum, non exclusa generali efficiendi quod facit Ecclesia.

Matrimonium à filiisfamilias contractum contra justum parentum dissensum, non solum est indecens, ut Doctores nonnulli perperam tradunt; sed etiam graviter illicitum, & obedientiae paternae adversum.

Gravis pariter pietatis, & justitiae laesio est citra justam causam Matrimonium inire familiae indecorosum, vel uno ex eadem invito, sive contrahentes sui juris sint, sive patriae potestati subditi, & assensum paternum obtineant.

Non licet per se Parocho, nec filiosfamilias, nec qui sui juris sunt, Matrimonio jungere, eorum consensu irrequisito, ad quos de jure assensum praestare pertinet: multoque minus contra eorum justum dissensum.

Leges Principis soecularis haec Matrimonia justis poenis civilibus cohibentes, non solum validae sunt, sed etiam juris naturalis, divini, & SS. Canonum tuitivae, & corroborativae.

Validè, nec raro meritoriè, potest Matrimonium con-

trahi cum voto, & sub pacto, etiam jurato, perpetuae continentiae absque intentione prolis, & remedii concupiscentiae.

Matrimonium inter haereticos cum impedimento jure Ecclesiastico dirimente contractum, excepta clandestinitate, de qua infra, est irritum, haud obstante inveterata non observantia hujusmodi legum apud ipsos vigente.

EX NON TITULAT. IN DECRET. AD MATRIM. SPECTANT.

ERROR personae antecedens, aut concomitans jure naturae per se Matrimonium dirimit; secus error qualitatis, etiam ex dolo proveniens, nisi haec interne, aut externe in conditionem deducatur, aut in substantiam contractus, seu individuum personae redundet.

Metus gravis injustè, & directè incussus ad Matrimonium extorquendum, non solo jure humano, sed naturali illius valorem vitiat; indirectè vero, seu ex alio fine incussus, quam Matrimonium assequendi, probabilius, nec de jure Canonico Matrimonium dirimit.

Irritum est in foro conscientiae Matrimonium, quod à Judice justè secundum allegata, & probata extorquetur; injustè vero secundum rei veritatem.

Valet Matrimonium inter partes catholicam, & haereticam absque vitio dirimente contractum sub pacto prolem in haeresi educandi, quamvis omni jure nefas sit.

Est graviter illicitum, etiam dicto pacto, & omni periculo perversionis, & scandalo seclusis, Matrimonium, quod absque dispensatione Apostolica à parte catholica cum haeretica contrahitur, etiam in iis locis in quibus haeretici catholicis inmixti vivunt.

Licet Pontifici, absente periculo perversionis, dispensationem ex gravi causa, maximè publica elargiri, ut inter partes haereticam alteram, & alteram catholicam Matrimonium celebretur.

Impedimentum raptus, uti & omnes fere poenae à Tri-

dentino adversus rapientes statutae, probabilius comprehendunt etiam foeminam raptricem viri.

Sponsalia pro foro externo valida; irrita tamen in foro interno, non producunt in conscientia honestatem publicam.

Matrimonium alio defectu, quam consensus, irritum honestatem publicam creat, eo demptu casu, quo post Sponsalia valida cum persona primo consanguinitatis gradu Consorti conjuncta celebratum est.

Probabilius, nec Matrimonium irritum ob impedimentum latens alteri Conjugum tantum notum; nec invalidum ex solo defectu consensus unius, revalidari potest absque novo utriusque Conjugis consensu, & cognitione nullitatis ex parti ignorantis.

Cognitio nullitatis à parte inscia habenda, non est necessario notitia expressa, & certa de infectione contractus, sed satis est dubia, vel etiam sola aequivalens: quaedam, videlicet, animi dispositio, vi cujus, cum contractus innovatur, ignarus de praesenti consentiat in novum Matrimonium in hypotesi, quod praecedens sit, aut esset invalidum.

Matrimonium irritum ex solo defectu consensus ex altera parte tantum licitè, & tuto in casu necessitatis convalidatur per solum verum consensum postea ab ea praestitum, quae antea, vel absolutè, vel non satis consensit, absque revelatione nullitatis, & novo consensu defectum ignorantis.

Irritum ob impedimentum latens, cujus vitium nec expressè, nec aequivalenter potest absque funesto exitu Conjugi inscio reserari, probabilius etiam potest, dispensatione facta, per copulam, aut alium actum conjugalem revalidari affectu maritali ab invaliditatis conscio habitum, nulla ignoranti notitia nullitatis data.

Possunt Episcopi, qui, nec ex legitimo more Dioecesis, nec ex privilegio Apostolico facultate dispensandi gaudent, ab impedimentis occultis Matrimonium dirimentibus pro foro conscientiae dispensare ad Matrimonium nondum contractum ineundum in casu magnae, & nimis prementis necessitatis.

Tempore, quo communicatio cum Urbe in spiritualibus omnino impedita est à Principe politico, ut non raro factum

est, licet Episcopo non privilegiato pro utroque foro dispensare in impedimentis publicis, quae Matrimonium dirimunt, si hoc validè necessarium est, & privilegiatus non adsit.

In statu ab omni impedimento libero hujusmodi facultatem Episcopo asserere omnino absurdum judicamus.

EX TT. II. III. ET IV.

SEptennium à Jure statutum, & tempus pubertatis ab eodem praefixum pro valore Sponsalium, & Matrimonii, quo casu malitia non supplet aetatem, non est moraliter computandum, sed de momento in momentum.

Pubertas naturalis, nec jure naturae, nec divino necessaria est ad valorem matrimonii; adeoque valet matrimonium inter legaliter puberes re ipsa nondum aptos ad copulam, & ex legitima dispensatione pueri rationis compotes in quacumque aetate validè nubunt.

Invalidum est matrimonium quod coram Magistratu soeculari, forma Trid. non servata, ineunt Conjuges haeretici ubi Concilium publicatum est, & praedicta forma servari potest.

Validum est, quod, sive ab Haereticis, sive à Catholicis in eisdem locis, absente Parocho, contrahitur, si ibidem non existat, nec tutus accessus pateat ad ipsum, dummodo duos saltim testes adhibeant.

Matrimonium primum dirimit secundum, ipso extante, non solum jure divino, sed etiam naturali, licet conditionato, seu ex parte materiae variabili, supra quod potest indirecta dispensatio divina cadere.

Sponsalia secunda, primis extantibus, jure naturae sunt irrita: ideoque haec, non vero illa adimpleri debent, licet secundis juramentum accesserit, vel copula, aut etiam impraegnatio Sponsae, etiam prioris contractus ignare.

Sponsus duarum, qui secundam, etiam sub juramento Matrimonii defloravit, aut gravidam effecit, eamdem ducere non tenetur, quamvis prima è vivis abeat, aut juri suo cedat, nisi damnum aliter resarcire nequeat.

Sponsalia probabilius non solvuntur per subsequens Ma-

trimonium ex parte nubentis, sed solum suspenduntur, & mortuo Consorte, adimpleri debent, si pars innupta velit, nec juri suo renuntiaverit.

EX TT. V. VI. VII. ET VIII.

MAtrimonium inter habiles ritè contractum sub conditione possibili, & honesta futuri contingentis valet, & conditione impleta, absque novo consensu transit in absolutum, tam in ratione contractus, quam Sacramenti, si est inter fideles, & consensus ex neutra parte fuit revocatus.

Probabilius matrimonium sic conditionatum, ubi Tridentinum viget, non transit in absolutum, nisi conditio coram Parocho, & testibus eveniat, vel saltim de ejus eventu satis illis aliunde constet.

Matrimonium inter impeditos contractum sub conditione dispensationis concedi solitae pariter valet, & dispensatione facta, fit absolutum quemadmodum conditionatum inter habiles fit.

Sponsalia sub conditione impossibili ipso facto sunt irrita: sub conditione turpi substantiae Matrimonii minimè contraria, impleta conditione obligant; verum ante illius adventum non subsistunt.

Matrimonium sub modo ejusdem substantiae contrario est validum, nisi modus naturam conditionis induat, videlicet, nisi contrahens intendat, quod actus non prius valeat, quam modus fuerit impletus.

Ordo Sacer post usum rationis, etiam ante pubertatem, libere susceptus dirimit matrimonium contrahendum; verum non jure Naturali, aut Divino, sed Ecclesiastico.

Professio solemnis Religiosa jure Ecclesiastico quoque irritat matrimonium post se: & licet licitè post Sponsalia ordinariè fiat, eaque utrinque solvat; non tamen valet, nec licet ubi sub tali fide Sponsa corrupta, aut gravida est effecta, & damnum aliter, quam per matrimonium resarciri nequit.

Sponsalia per subsequentem ordinem sacrum ex utraque parte solvuntur; non tamen licitè suscipitur, nisi anuente Spon-

sa, & nulla ex eadem prole existente, quae ex hujusmodi mutatione grave damnum suscipiat.

Votum simplex Religionis, vel Ordinis sacri, aut perpetuae castitatis jure naturae dirimit Sponsalia sequentia, etiam jurata, vel per copulam firmata; antecedentia vero non disolvit ex parte voventis, quamvis ex altera parte ipso facto soluta maneant.

Adulterium cum ficta promissione futuri matrimonii post mortem consortis cum complice probabilius non inducit impedimentum dirimens inter adulteros.

Impedimentum criminis probabiliter non contrahitur ab his, qui ignorant ipsum à jure suo delicto annexum esse, nisi ignorantia sit affectationis.

Lepra antecedens ignorata, vel consequens Sponsalia dat justam causam resiliendi ab illis; non tamen dirimit matrimonium contrahendum, nec contractum disolvit.

Conjux sanus tenetur leproso cohabitare, & debitum reddere, si lepra non sit contagiosa; secus, si periculum est infectionis: si tamen velit, utrumque ei licebit, haud obstante periculo prolis ex concubitu forte proventurae.

EX TT. IX. XI. XII. XIII. ET XIV.

EST quidem probabile conditionem servilem ignoratam jure naturae dirimere matrimonium inter personas liberam, & servituti obnoxiam.

Conjux propriam, legitimamque prolem baptizans, vel eamdem in privata, aut solemni baptizatione tenens, nullam cum Consorte contrahit cognationem spiritualem, nec impedimentum petendi, & reddendi debitum: & hoc, seu ex ignorantia, seu ex malitia id fecerit, in vel extra casum necessitatis, de mutuo consensu, aut Consorte ignorante.

Paternitas spiritualis cum baptizato, & compaternitas cum illius parentibus, non solum contrahuntur à Ministro, & patrinis in Sacramento, qui ipsius parentes ligitimi non sunt ex baptismo solemni, sed etiam ex privato in necessitate collocato, dummodo & hi, & parentes fideles sint.

Infidelis puerum baptizans, aut in baptismate tenens, nec cum baptizato paternitatem contrahit, nec compaternitatem cum illius parentibus: neque fidelis filium parentum infidelium pariter baptizans, aut ex baptismo levans, eorum compater fit.

In baptismo per Procuratorem vera cognatio spiritualis contrahitur; eam tamen probabilius, non Procurator, sed is, cujus nomine Procurator baptizatum levat, solus contrahit.

Omnes baptizati, quos parentes pariter baptismo insigniti, vel in eorum deputationis defectu, Parochus in patrinos designat contra praeceptum Tridentini unum, & unam ad summum admittens, contrahunt paternitatem, & compaternitatem spiritualem baptizatum in baptismate levando, aut tangendo.

Nullus ex non designatis â parentibus, vel Parocho in eorum designationis defectu, contrahit cum baptizato, nec illius parentibus cognationem spiritualem, baptizatum est sacro fonte levando, quamvis coeteris alijs omnibus ad munus patrini requisitis sint ornati.

Cognatio legalis, impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, non solum oritur ex adoptione perfecta, Arrogatio in jure vocitata; sed etiam ex imperfecta, seu specifica, simpliciter Adoptio dicta.

Non solum Conjux, qui cum ignorantia facti, seu cognationis naturalis Complicis cum proprio Consorte, sed etiam, qui cum ignorantia juris poenalis, seu poenae suo delicto â jure Canonico adnexae, incestum admittit cum consanguineo in primo, aut secundo gradu Conjugi suo conjuncto, privationem debiti petendi non incurrit.

Consanguinitas in linea recta certo jure humano matrimonium dirimit in infinitum; ita, ut, si Adamus nunc existeret, cum nulla validum matrimonium inire posset: & non omnino contemnenda probabilitate, etiam jure naturae: verum conditionato dumtaxat, nimirum, nisi res in eum statum deveniat, in quo matrimonium patris cum filia etiam, necessarium sit pro conservatione generis humani.

Consanguinitas in primo gradu lineae transversae probabilius non dirimit matrimonium jure naturae absoluto; ita, ut in nullis circunstantiis liceat matrimonium, & valeat inter fra-

trem, & sororem; dirimet tamen probabiliter jure naturali conditionato, si, nempe, gravis causa matrimonium non exigat: adeoque, ipsa adveniente, & certo probata, aut per evidentiam constante, nulla humana dispensatione licitè, & validè frater, & soror nuberent.

Affinitas in primo gradu lineae rectae solo jure humano probabilissime dirimit matrimonium; in linea autem transversa primus gradus certo certius, supposita infalibillitate Pontificis in rebus morum definiendis, nobis indubitata, nec jure naturali, nec divino matrimonium dirimit.

EX. TT. XV. ET. XVII.

INTER perpetuo impotentes, etiam impotentiae conscios, non potest validum matrimonium consistere, nec ad caste vivendum.

Impotentia perpetua matrimonio rato superveniens non disolvit vinculum matrimoniale; probabiliter tamen est justa causa, ut dissolvi queat auctoritate Apostolica.

Expositi, quorum parentes ignoti sunt, de jure inter legitimos accersendi sunt, & legitimitatis favoribus gaudent.

Proles naturalis per subsequens matrimonium validum inter illius parentes plenissimè legitimatur quoad omnes effectus, tam civiles, quam ecclesiasticos, excepta Dignitate Cardenalitia, nisi ex speciali consuetudine á certis effectibus civilibus alicubi excludatur.

Non solum matrimonium immediatum, & consummatum inter parentes prolis naturalis subsecutum eumdem legitimat, sed etiam matrimonium mediatum, & ratum tantum.

Matrimonium putativum, licet bona fide, & praemissis denuntiationibus, inter parentes filiis naturalis subsecutum probabilius filium non legitimat.

Ad legitimationem prolis naturalis per subsequens matrimonium satis est ejusdem parentes habiles ad matrimonium fuisse, vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio.

Matrimonium inter parentes prolis naturalis subsecutum praestat effectum legitimationis, non solum extantibus, & refra-

gantibus fratribus legitimis, sed etiam dissentiente & contradicente ipsomet legitimando.

Legitimatus per subsequens matrimonium, si particularis consuetudo, aut statum loci non resistat, probabilius in Primogenitura praeferri debet primogenito ex intermedio matrimonii nato.

Nepos ex filio naturali legitimè natus respectu avi, & aviae per eorumdem subsequens matrimonium legitimatur, sive filius naturalis vivat, sive ex vivis jam dicesserit tempore matrimonii inter illos subsecuti.

Spurius legitimari potest per dispensationem Apostolicam in radice matrimonii, dummodo matrimonium actu, licet invalidè, inter ejus parentes fuerit contractum, & impedimentum illius valorem impediens sit solius juris Ecclesiastici.

Pontifex dispensando in radice matrimonii potest suae jurisdictioni temporali non subjectus legitimare indirectè ad successiones haereditarias, & alios effectus juris civilis.

Dispensatio Pontificia in radice matrimonii vim habet spurium legitimandi etiam facta post mortem parentum.

EX. TT. XIX. ET. XXI.

VINCULUM matrimonii est indissolubile, non solum ab extrinseco, seu de jure Divino positivo, sed etiam ab intrinseco ex natura ipsius contractus, seu jure naturae.

Matrimonium ratum fidelium non solvitur per Professionem Religiosam jure naturali, aut divino, sed Ecclesiastico dumtaxat.

Vinculum matrimonii rati inter fideles solvi etiam potest auctoritate Pontificia extra casum Professionis Religiosae; modo adsit gravis causa, sine qua dissolutio non modo illicita, sed invalida erit.

Matrimonium inter baptizatos validè contractum, & consummatum nulla in terris potestate dissolvi potest quoad vinculum, licet interveniat unius ex conjugibus adulterium.

Matrimonium infidelium verum, & consummatum nequit

post legem Christi dissolvi quoad vinculum per libellum repudii.

Neque ratum tantum potest auctoritate privata Conjugum, aut publica Pontificis, aut Principis laici omnino dissolvi.

Jure divino dissolvitur quoad vinculum matrimonium infidelium, consummatum etiam, per conversionem unius Conjugum ad fidem, si alter in infidelitate permanens nolit converso cohabitare, aut velit quidem, sed non sine injuria Creatoris; secus si pacificè habitare consentiat.

Hujusmodi vero dissolutio probabilius citius non fit, quam conjux conversus ad fidem ineat aliud matrimonium cum fideli, ita ut contractio secundi destruat vinculum primi.

Matrimonium consummatum infidelium in casu, quo infidelis converso ad fidem cohabitare non vult, aut non sine injuria Creatoris, probabilius disrumpitur etiam quoad vinculum per Professionem Religiosam.

Judex ex accusatione, aut inquisitione procedens in controversia, an matrimonium in facie Ecclesiae contractum validum sit, nec ne, si plena probatio nullitatis absit, tenetur in conscientia pro ejusdem validitate sententiam pronuntiare, & Conjuges obligare ad debitum reddendum, & cohabitationem non dissolvendam.

At Conjuges in foro interno, si ambo, vel alter, certam notitiam nullitatis habeant non debent, imo nec possunt sententiae Judicis obedire, exigendo, aut reddendo debitum, vel cohabitando, si periculum est incontinentiae.

Imo, si Conjuges, vel Conjux compelluntur per sententiam excommunicationis ad utrumque, potius excommunicatio sustinenda est, quam sententia exequenda quoad debitum reddendum, aut cohabitationem prosequendam, si absque certo periculo prosequi non possit.

Unde in hoc arduo casu, si impedimentum est dispensabile, tenentur Conjuges, vel Conjux nullitatis conscius dispensationem impedimenti solicitare; sin vero impedimentum indispensabile sit, aut dispensabile indispensabile per accidens fiat, licet separatio privatim per viam fugae, nulla ratione scandali habita.

Absente quoque omni scandalo ex contentione inter Judicem, & partem, vel partes, uti si in regiones adeo longinquas abeant Judex resistere nequeat, licet ambobus, vel alteri Conjugum nullitatem certo scienti secundum matrimonium.

Nec erit illicitum, si testimonium de libertate â priori matrimonio pro secundo in loco fugae contrahendo exigatur, testes solicitare testimonium perhibentis negativum, seu de eo, quod non sciant quodcumque aliud matrimonium prius existere.

De jure divino licet Conjugi à Conjuge perpetuo divertere quaod thorum, & cohabitationem ob culpabile alterius adulterium naturale, sodomiticum, aut bestiale, non solum spontaneum, sed etiam ex gravi metu perpetratum, dummodo delictum sit completum in sua specie, satis certum, non remissum, nec proprio adulterio compensatum, aut de ejus expresso, aut tacito consensu commissum.

Divortium quoad thorum, & cohabitationem ex causa adulterii potest ab innocente propria auctoritate licitè in utroque foro fieri, invito nocente, si adulterium est notorium notorietate juris, aut facti; non tamen licet in foro externo illud absque sententia Judicis instituere quoad cohabitationem, si delictum est occultum, illudque probare potest.

In foro vero interno, si adulterium occultum Consortis est satis innocenti conjugi certum, illud tamen probare nequit, licitum est ab eodem invito discedere, non solum quoad thorum, sed absente scandalo, etiam quoad cohabitationem.

Non licet in conscientia adultero occulto, cujus delictum est improbabile in judicio divortium â Consorte adultero notorio instituere, nec propria, nec Judicis auctoritate: & quamvis in foro externo liceat; sententia tamen in eodem lata in foro conscientiae nil prodest occulto adultero, & sententiam tenetur non exequi.

Conjux innocens, qui post divortium ex causa adulterii factum, etiam per sententiam Judicis, adulterium quantumvis occultum committit, tenetur in conscientia ad Consortem reddire, nisi ipse, vel alter de ejusdem consensu statum mutaverint; in externo autem, si adulterium probari potest competit dimisso actio, ut iterum recipiatur.

Divortio facto ex causa adulterii, Conjux innocens potest, si velit, reconciliari nocenti, & ipse ad innocentem reddire tenetur, si neuter statum legitimè mutaverit.

Conjux Catholicus potest, tum propria, tum Judicis auctoritate separari quoad thorum, & cohabitationem à Consorte publico, aut occulto haeretico, vel apostata facto, licet periculum perversionis nec Conjugis, nec prolis sit; verum, si separatio propria auctoritate fit, non licet statum mutare, & conversum recipere tenetur, sin vero judicio Ecclesiae facta est, & Religionem velit innocens ingredi, non tenetur illum emendatum recipere, secus, si non intendat.

Haeresis, nec cum haeresi, nec cum adulterio compensatur: atque iccirco utroque Conjuge simul in haeresim incidente, potest alter ab altero invito divertere, & haereticus factus potest adulterum contradicentem repellere, & adulter haereticum.

Secundae nuptiae sub opinione, aut dubio de morte prioris Conjugis valent si reipsa tempore contractus prior Conjux è vivis abiit; verum non licent opinanti, aut dubitanti: & si dubium, aut opinio sit ex parte utriusque, neuter potest petere, aut reddere debitum usque ad adventum certitudinis moralis.

Contractae vero cum dubio, aut opinione ex parte alterius Conjugum tantum, nullum dant jus sic contrahenti debitum petendi, nisi postea dubium prudenter deponat; eundem tamen obligant ad reddendum petitum.

Dubium, vel opinio de vita prioris Conjugis post secundas nuptias utrique Conjugi superveniens utrumque obligat ante diligentem inquisitionem veritatis ad non petendum, vel reddendum debitum; post vero solertem indagationem uterque potest petere, & reddere, si ad huc perseverat dubium, aut opinio.

Si alteri Conjugum tantum dictum supervenit dubium, reddere quidem potest, sed minime petere debitum, nisi inquisitione diligenti facta, adhuc dubium remaneat, sin vero ex exacto indagine notitia saltim moraliter certa fluat de vita prioris Conjugis, nec petere, nec reddere poterit, quamvis forte ex

defectu probationis, excommunicatione, aut aliis poenis à Judice compellatur.

Secundae nuptiae de jure communi non sunt benedicendae, sive ambo Conjuges, sive alteruter tantum in priori matrimonio benedictionem jam susceperint; secus vero ubi consuetudo viget contraria, quae varia esse potest, & observanda.

DEfendentur in D. O. M. Purissima Virgine MARIA absque labe originali concepta, necnon D. JOSEPHO, & Studiorum Patronis Seraphico D. D. BONAVENTURA, & D. ALOYSIO GONZAGA opem ferentibus. Praeses aderit P. F. JOSEPH MARIA LOPEZ AGUADO in praememorato Collegio Sacrorum Canonum Professor.

Dies erit Mensis anni Domini M. DCC. LXXXXII.

D. L. R. P. S. R.

MEXICI: EX TYPOGRAPHIA D. PHILIPPI DE ZUNNIGA, ET ONTIVEROS, IN VIA SPIRITUS SANCTI.

BA 792
L864c

15-303